illorum atque serenitatem corporea uocum materia decolorari
& qm̄ illud quod mens uidet semper est praesens & inmortale
approbatur cuius generis numeri apparebant. sonus autem quia
sensibilis res est praeterfluit in praeteritum tempus inprimiturque
memoriae rationabili mendatio iam poetis fauente ratione iouis
& memoriae filias musas esse confictum est. unde ista disciplina
sensus intellectusque particeps musicae nomen inuenit. hinc pro
fecta est & terram caelumque conlustrans sensit nihil aliud
quam pulchritudinem sibi placere & in pulchritudine figuras
in figuras dimensiones in dimensionibus numeros. quaesiuitque
ipsa secum utrum ibi talis linea talisque rotunditas uel quelibet
alia forma & figura esse qualem intellegentia contineret. longe
deteriorem inuenit & nulla ex parte quod uiderent oculi cum eo
quod mens cerneret comparandum. haec quoque distincta & dis
posita in disciplinam redigit appellauitque geometricam. motus
eam caeli multum mouebat & ad se diligenter considerandum
inuitabat. & iam ibi per constantissimas temporum uices per astro
rum ratos definitosque cursus per interuallorum spatia mode
rata. intellexit nihil aliud quam illam dimensionem numerosque
dominari. quae similiter definiendo ac secernendo in ordinem
nectens astrologiam genuit. magnum religiosis argumentum
tormentumque curiosis. In his igitur omnibus disciplinis occurrebant ei

License: PUBLIC_DOMAIN – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 212, f. 105v – Composite manuscript: artes et carmina (http://www.e-codices.ch/fr/bbb/0212/105v)